

lum potentius remedium erit aduersus excessus Advocatorum; quam si proventus Ecclesiarum & Monasteriorum in usus pios & pauperum alimoniam impendantur. Dum enim Principes vident, bona à suis Majoribus donata juxta leges fundationis, & piam parentum voluntatem distribui, incitantur ut piam Majorum suorum intentioni faveant, eamque adjuvent: at quando è converso vident, bona illa contra Fundatorum mentem in luxum & profanos usus infumi, incitantur ut ea retrahant, aut saltem minus defendant; atque frequenter verificatur illud vulgatum, Quod non capis Christus, rapit Fiscus.

CAPUT II.

De Varia Specie Juris Patronatus.

- 1. Primis seculis omne Jus Patronatus erat ejusdem nature.
2. In Synodo VIII. videtur aliquod vestigium distinctionis.
3. Hodie aliud est laicum, aliud Ecclesiasticum; & notabiles utriusque differentia.
4. Non omne quod competit persona Ecclesiastica est Ecclesiasticum.
5. Etiam competens Ecclesiastico ob donatos proventus Ecclesiasticos non est semper Ecclesiasticum.
6. Quid sit proprie Jus Patronatus Ecclesiasticum?
7. Potest esse Ecclesiasticum, licet ex fundatione laici habeat originem.
8. Descriptio Juris Patronatus laicalis.
9. Laicale etiam est, licet patrimonium acquisitum sit ex rebus Ecclesia.
10. In dubio potius censetur laicum, quam Ecclesiasticum.
11. Jus Patronatus laicale quando dicatur reale.
12. Hujus juris in Decretalibus frequens mentio occurrit.
13. Hoc jus originem habuit ex Oratoris in Nobilibus castris & villis constructis.
14. Nominatio Presbyterorum ad similia Oratoria primitus non erat proprie presentatio.
15. Quomodo in veram presentationem transferit.
16. Jus Patronatus Ecclesiarum ruralium, & minorum Capitulorum hinc originem sumpsisse videtur.
17. Quandoque Jus Patronatus laicum dicatur personale?
18. Idem Beneficium subinde est Juris Patronatus laici & Ecclesiastici.
19. Aliquando laicus & Ecclesiasticus tantum concurrunt divisim vel alternatim.
20. Simili casu utrumque Jus Patronatus manet separatum.
21. Ecclesiastici in suo turno non gaudet prerogativa laici.
22. Si laicus & Ecclesiasticus verè concurrant, erit Jus Patronatus mixtum.
23. In mixto attenditur qualitas conservationi Juris Patronatus magis favens.
24. Si agatur de prescriptione, attenditur Jus Ecclesiasticum.
25. Sapienter attenditur laicum ob hujus prerogativas.
26. Id procedit licet plures sint Ecclesiastici, & unus tantum laicus.
27. Jus Patronatus ad Beguinas Confraternitates laicam aut Ecclesiarum Edictos spectans, quale sit.
28. Jus Patronatus ad Universitatem Parisiensem pertinens declaratum fuit laicale.
29. Prædicta jura licet possint dici mixta, prævalet tamen qualitas laicalis.

I. Notant communiter Interpretes, multis seculis unius dumtaxat generis Jus Patronatus fuisse; neque differentiam ullam inter Ecclesiasticum & laicum in antiquis Canonibus, vel Novellis Justiniani notam esse; sed divisionem Juris Patronatus in Ecclesiasticum & laicum, & differentias inter utrumque sensim labentibus seculis, non tam Canone, quam consuetudine invaluisset; uti infra cap. 5. ostendetur.

II. Aliquod vestigium distinctionis videtur occurrere in Canone 15. Concilii Oecumenici VIII. circa finem seculi 9. Dicitur enim, "Si Episcopus convictus fuerit constructurisse Monasterium in rebus Ecclesiasticis, tradit ipsum eidem Ecclesie Monasterium; si verò de propriis rebus, aut aliis quibusdam conventionibus, habeat id secundum propriam potestatem & voluntatem, omni vita sua; & post finem vite dimittat & conferat hoc quibuscunque voluerit, non tamen saculare divertorium fiat.

III. Hic de Jure Patronatus ipsius Monasterii agi, ex contextu Canonis sat verisimile apparet: quidquid interim sit, hoc indubitatum est, hodie receptam esse divisionem Juris Patronatus in laicum & Ecclesiasticum; atque inter utrumque varias ac notabiles intercedere differentias; ut proinde necesse sit scire, ad quam speciem hoc illudve Jus Patronatus referendum sit.

IV. Jus Patronatus non semper Ecclesiasticum est, quia competit personæ Ecclesiasticæ; nisi illi ratione tituli Ecclesiastici, sive Ecclesie competat. Quod enim ratione sanguinis aut patrimonii competit, semper censetur laicum, sive obiens sit laica sive Ecclesiastica persona. Clericus enim quoad patrimonialia reputatur laicus.

V. Imò cum Clerici hodie proventus Ecclesiasticos adinstar patrimonii suos faciant; & in foro externo ut patrimonialia passim reputentur quoad liberam dispositionem tam inter vivos, quam mortis causa, Jus Patronatus ex propriis ejusmodi bonis Clerico obveniens, laicum & patrimoniale reputabitur, ait Franciscus Le Roy in Prologomenis ad titulum De Jure Patronatus cap. 6. "nisi Clericus palam & conceptissimis verbis testetur & scribat, se Ecclesiam illam fundare ex bonis alterius Ecclesie quam tenet, eique Jus Patronatus addicat.

VI. Jus Patronatus Ecclesiasticum itaque proprie dicitur, quod competit Ecclesie, seu ratione Ecclesie, sive Clerico, sive etiam laicæ personæ, v. g. Abbatis.

VII. Neque refert, quod primitus ex patrimonio & fundatione laici originem habuerit: nam sufficit postea quovis modo, sive testamento, aut donatione, translatum esse in Ecclesiam, Capitulum seu Collegium Ecclesiasticum Canonico regularium, aut seculum, aut alicui dignitati, aut beneficio Ecclesiastico esse annexum.

Ita communiter docent Canonistæ; & non obscure probatur in Cap. unico de Jure Patronatus in 6. ubi dicitur, quod Ecclesia vel Monasterium, cui à laico Jus Patronatus collatio facta est, habeat semestrem ad presentandum; quod evidens est Juris Patronatus Ecclesiastici indicium; uti infra cap. 5. videbimus.

Huic Canonistarum resolutioni etiam consonat moderna praxis. Hoc ipso enim quo Jus Patronatus probatur alicui competere ratione dignitatis aut tituli Ecclesiastici, reputatur Ecclesiasticum; neque de origine ipsius ulterius inquiretur.

VIII. Laicale verò appellatur, quod alicui sive laico sive Clerico competit ratione proprii patrimonii, non beneficii vel Ecclesie.

IX. "Nec interest quod patrimonium illud acquisitum sit intuitu Ecclesie. Quia cum ex generali consuetudine Clerici de talibus bonis testari possint, & in illis eis ab intestato succedatur sicuti in patrimonialibus, videtur Clericus dotans, vel extruens Ecclesiam sibi suisque hæredibus, vel consanguineis Jus Patronatus ratione patrimonii

nii reservasse, & ita laicale judicatur. Ita Emanuel Gonzales ad Cap. 5. De Jure Patronatus num. 3. confertitque Franciscus Le Roy in Prologomenis ad titulum De Jure Patronatus cap. 6.

X. Quin & ibidem tradit, verius esse, quod si dubium sit, quale sit Jus Clerico competens, an laicum, an Ecclesiasticum, in dubio judicandum sit laicale; quia Clerici nihil habere præsumuntur in bonis, ut de S. Augustino Possidius & quia omnes ferè antiqui Canones, ubi de jure Fundatorum, agunt tantum de laicis & eorum heredibus. Hæc Le Roy, addensita in Gallia obtinere, ob privilegia huic specialiter competentia, idque confirmari credens verbis Guillelmi Benedicti ad Cap. RAYNUTIUS, verbo. Et uxorem NOMINE ADELASIAM Decis. 1. n. 24. "Omnia beneficia præsupponuntur habere Patronos, Fundatores, aut Dotantes, cum naturaliter beneficia non nascantur, sed producantur; ita esse artificialiter per laicos, qui ut plurimum sunt Ecclesiarum Fundatores.

XI. Jus Patronatus ulterius dividitur in reale & personale. Reale dicitur, quod gleba seu fundo, vel castro alicui adheret, & à Fundatore adscriptum est.

XII. Hujus Juris Patronatus mentio occurrit in Cap. 18. De Sententia & Re judic. ubi questio incidit occasione fundi, vel curia in pignus dati, cui Jus Patronatus adhaerebat: An presentatio vigore hujus Juris Patronatus competeret Creditori cui fundus datus erat in pignus; an verò ipsi debitori, qui manet dominus fundi. De qua questione agitur cap. 4.

Et in Cap. 7. De Jure Patronatus supponitur Jus Patronatus annexum certæ villæ, quariturque cui competat, an domino villæ, an ei cui villa data erat ad firmam; de qua questione similiter cap. 4. discurritur.

XIII. Jus Patronatus hoc originem habuisse apparet ex Oratoris & Sacellis, quæ jam pridem viri nobiles circa suos fundos, aut in suis domibus extruebant. Cum enim domus seu castra ipsorum, vel etiam villa fundis ipsorum adjacentes procul ab Ecclesia Parochiali distarent, pro commoditate familiarum hæc Oratoria vel Sacella extruebant; iisque Presbyteros qui Sacra peragerent præstiebant cum consensu Episcopi: ut colligi potest ex Can. 22. Synodi Agathensis; nec non multis Canonibus Conciliorum seculo 7. & 8. celebratorum; in quibus sæpius hujusmodi Oratorium & Presbyterorum mentio fit: porro quia hæc Oratoria & Sacella pro commoditate castrorum vel villarum, seu ea inhabitantium erant instructa, visum fuit, quod ex mente Fundatorum sequi deberent dominos castrorum & villarum; ac per consequens, & ipsi deferendam assumptionem seu nominationem Presbyterorum, qui hæc Oratorii vel Sacellis defererent.

XIV. Hæc quidem nominatio Presbyterorum ad similia domestica Oratoria primitus non erat proprie dicta presentatio, qualis hodie Patronis competit, quia cum Oratoria hæc non essent erecta in beneficia, dici nequibat presentatio strictè dicta; presentatio enim tantum fit ad beneficia, sive consistit in nominatione Clerici ad beneficia.

XV. Verum successu temporis, Oratoria seu Sacella pro commoditate Nobilium eorumque familiarum extructa & fundata, non tantum in beneficia simplicia, sed etiam in Parochiales Ecclesias mutata fuere; uti ostendit Ludovicus Thomasius De Discip. Eccles. parte 2. lib. 1. c. 33.

XVI. Imò cum Præpices subinde plures Presbyteros in suis castris aut villis adscriperint, qui ibidem integrum Officium Canonicum peragerent, contigit, ut Oratoria similia in Canonicorum Capitula degenerarent. Exemplum hujus habemus in Canonicis Capella Ducis Burgundie, de quibus in Cap. 16. De Privilegiis.

Dum ergo prædicta Oratoria seu Sacella transferunt in similia beneficia, manit Jus Patronatus seu Jus presentationis apud illos, quibus fuerat Jus nominandi presbyteros, priusquam essent in beneficia erecta.

Hinc non male advertit, qui hanc esse causam autumat,

cur plures Ecclesie Parochiales & minora Capitula rurali existentia sint Juris Patronatus laici.

XVII. Jus Patronatus laicum dici potest personale, quando ex fundatione, dotatione, aliove titulo competit independenter ab aliqua certa re, cui esset annexum.

Nec enim personale dicitur, quasi certæ alicui personæ adstrictum sit; sed ut ab eo distinguatur, quod res in hæret: sicuti hodie personalia nomina seu credita non eo tantum titulo dicuntur, quod certam aliquam personam non egrediantur; nec ad hæredes transeant; sed quod prædictis aliisque rebus non inhaereant: neque realizata, ut loquatur, sint; at in mera personalitate subsistant.

XVIII. Interdum contingit, ut idem beneficium sit Juris Patronatus laici & Ecclesiastici, sicutque revera ejusdem beneficii duo Patroni, alter laicus, alter Ecclesiasticus.

XIX. Contingere verò potest, ut hi Patroni in presentatione non simultaneè, sed divisim vel alternatim concurrant: ita ut per vices seu per turnum Jus Patronatus utantur: atque in turno unus interquiescat & quasi cesset Jus Patronatus alterius; ipsaque litteræ presentationis unius tantum Patroni, scilicet Turnarii mentionem faciunt.

XX. Hoc casu, cum propriè hi duo Patroni non concurrant in presentatione, sed singuli separatim suo jure utantur, etiam ipsa Jura Patronatus non censentur sibi junctæ; nec unum alteri commixtum; nec dici potest constitutum è bino ullo Jure Patronatus mixtum, quod mixtum dicitur: at in turno laici manet merè laicale; in turno autem Ecclesiastici merè Ecclesiasticum.

XXI. Quare in turno Ecclesiastici sortitur conditionem & qualitatem Juris Patronatus Ecclesiastici.

Unde, licet præventio Papæ locum non habeat in Gallia quoad beneficia Juris Patronatus laici aut mixti, eam tamen locum habere in turno Ecclesiastici, quando prædicto modo turnatim conferunt laicus & Ecclesiasticus, non semel judicatum fuisse refert Charondas in Observat. ad Jus Francorum. Item subjacere nominationi Graduatorum judicatum refertur in libro cui titulus, Journal des Audiences parte 2. lib. 2. cap. 43.

XXII. Si autem Patroni hi, scilicet laicus & Ecclesiasticus, verè concurrant in usu Juris Patronatus; atque simul presentent; litteræque presentationis utriusque nomine expediantur, tum jura illa sibi invicem quasi miscentur, atque unum quodammodo Jus patronatus constituunt, quod mixtum, tamquam ex duobus compositum dici solet.

XXIII. Cum igitur hoc jus habeat mixturam utriusque Juris Ecclesiastici & laici, etiam naturam & conditionem utriusque induit: ita quidem ut in casu particulari attendatur conditio unius aut alterius quæ conservationi ipsius juris videtur favere. Et ratio est, quam tradit Glossa & quam omnes passim sequuntur, in Cap. unico De Jure patronatus in 6. quod propter communionem non privilegiatus sortitur naturam privilegii.

XXIV. Hinc infert Fagnanus ad Cap. CUM PROPATER De Jure Patronatus num. 28. & 29. quod "si agatur de prescriptione Patronatus mixti, in qua Ecclesia est magis privilegiata, quam laicus, censetur patronatus totus Ecclesiasticus, ut requiratur ad ejus prescriptionem idem tempus, quod requiritur contra Ecclesiam. Similiter cum patronus laicus habeat ad presentandum quadrimestre, Ecclesiasticus semestrem, si mixtus sit patronatus, uterque Patronus habebit semestrem, quia hoc casu melior est conditio Patronatus Ecclesiastici, quam laicalis.

XXV. Deinde de prærogativa Juris Patronatus laicalis subjicit "E converso si versetur in materia in qua Jus patronatus laicorum sit firmiter & magis privilegiatum, quam Ecclesiasticum, patronatus mixtus ex utroque totus censetur laicalis. Et ideo cum in materia derogatio potentior sit patronatus laicalis quam Ecclesiasticus,

quamvis Legatus de latere possit conferre beneficia Juris patronatus Ecclesiastici, non tamen poterit conferre quae sunt Patronatus mixti: quia in hoc reputantur, ac si essent Patronatus ex toto laicales.

XXVI. Probat quoque ibidem Fagnanus, quod & supradictis. 2. cap. 4. diximus Jus Patronatus mixtum ceteri laicale, quoad prerogativas Juris laicalis, tamen multo plures essent Ecclesiastici Patroni, quam Laici: imò tamen multi essent Ecclesiastici, & unus dumtaxat laicus; atque tandem num. 59. ex dictis concludit, "in mixtis prevalere, qualitatem magis faventem, & per eam jus alterius non laeditur ex communiione, etiam si qualitates contrariae sint numero plures.

XXVII. De aliquibus Juribus Patronatus jam pridem dubitatum fuit, cui speciei accensenda essent & consequenter quibus regulis & conditionibus subiacerent.

Atque ita dubitatur de Jure Patronatus ad Confraternitatem laicorum, aut Ecclesiarum ædituos spectante, cujus generis censendum sit. Credit Philippus Probus in additionibus ad Glossam Pragmaticam De Collat. s. statuit. verbo Presentatio, Jus Patronatus competens Beguinis, prout & illud quod obtinent procuratores fabricæ, esse Ecclesiasticum. Id ipsum notat tit. de Elect. s. quod si quis, verbo, Fabricæ.

Covarruvias verò Practic. 99. cap. 36. num. 9. loquens de Beneficiis spectantibus ad Jus Patronatus seu præsentationem alicujus Fraternitatis laicorum, qui solent causa pietatis collegia aliqua constituere, censet hoc Jus Patronatus & ei simile, non esse Ecclesiasticum, sed laicorum.

"Nam etiam si hoc Collegium (ait) causa pietatis constitutum adhaereat, & sit affixum alicui Ecclesie, ipsi tamen, ex quibus Collegium & universitas constat, & ad quorum voces, ac suffragia præsentatio fit, laici sunt omnino & ad hanc Universitatem laicorum præsentatio pertinet, non ad Ecclesiam, nec ad aliquam Ecclesiasticam dignitatem: Sic sane aliquot aliis adductis hanc opinionem veram esse censet Felinus. Unde omnia, quae conveniunt Juri Patronatus laicorum, erunt plane applicanda, & aptanda huic Juri Patronatus competenti fraternitatis laicorum, etiam si hæc collegia adhaereant alicui speciali Ecclesie. Atque ideo apud Hispanos non admittuntur derogationes, quæ sunt in præjudicium præsentationis, quæ ad hæc Collegia pertinent.

XXVIII. Similiter refert Renatus Choppinus lib. 3. De Domano Rogis tit. 27. num. 12. post longas utrimque disceptationes judicatum fuisse à supremo Regis Senatu, Jus Patronatus spectans ad Universitatem Parisiensem, ceteri eatenus saltem esse laicum, ut ei per reservationem, præventionem, aliisque modis derogari nequeat sed placere ab Academia sola, quasi à profano Patrono, ad vacua in posterum "Sacella candidatos suos offerri nominatque ordinario Collatori, "uti loquitur Choppinus.

XXIX. Licet enim negari nequeat quin similia corpora aliquam rei spiritualis mixturam habeant, eoque titulo Jus Patronatus illis annexum merito dici queat mixtum, ut ad citatum locum Glossographi Sanctionis Pragmaticæ, verbo Fabricæ, in margine notavit Franciscus Pinsonius, nihilominus, quoad prerogativas Juri Patronatus laico competentes, dici debet, & recte vocabitur laicum, juxta ea quæ de Jure Patronatus mixto supra notata sunt.

Huic conforme est, quod Magistri Fabricæ Ecclesiarum, aut Mensæ pauperum, si laici sint & à laicis instituantur, ratione administrationis, non coram judice Ecclesiastico, sed laico hodie conveniantur, uti parte 1. titul. 5. cap. 5. num. 7. notatum est. Indicium haud obscurum, hujusmodi Corpora magis ut laica, quam ut Ecclesiastica reputari.

CAPUT III.

De Modo acquirendi & probandi Jus Patronatus.

1. Principius titulus acquirendi Jus Patronatus est Ecclesia fundatio.
2. Ex fundatione acquiritur sine speciali reservatione.
3. Non usus inducit presumptionem non reservationis.
4. Ubi constat de fundatione, pro Jure Patronatus presumitur.
5. Modo sit vera fundatio.
6. Solius fundi donatio non sufficit.
7. Fundatio ex Canonum præscripto requirit dotationem sufficientem.
8. Requiritur constructio & dotatio.
9. Id ipsum probat Synodus Tridentina.
10. Fundi Dator potest Benefactor: sed non Patronus haberi.
11. Synodus Tridentina non vult ob quamenque dotationem Jus Patronatus admitti.
12. Ob dotationem aut dotis augmentum Jus Patronatus sine consensu prioris Patroni non annuendum.
13. Fallit si Patronus dotare velit; nec aliter dos haberi queat.
14. Quomodo per fundationem, dotationem, & constructionem tres Patroni constitui queant.
15. Primus jus hoc solo fundationis titulo delatum.
16. Caput postmodum etiam titulo præscriptionis; & quare.
17. Requiritur tempus memoriam hominum excedens.
18. Id probatur Decreto Synodi Tridentine.
19. Quot præsentationes requirantur ad præscriptionem?
20. In quibus personis Synodus Trid. requirat ampliores probationes Juris Patronatus.
21. Nulla iura Patronatus rejicit.
22. Qui tantum est in quasi possessione Juris Patronatus, an ex Decreto Concilii Trident. præsentare queat?
23. Probatio per Concilium requisita etiam obtinet in possessore.
24. Fallit, si tantum sit questio cui competat.
25. Jus Patronatus ortum alio quam fundationis titulo per Synodum Trid. abrogatum.
26. Concilium Trid. hic promulgatum salvo Jure Patronatus Regi & Vasallorum.
27. Decreta Concilii Trid. in quantum restringunt Jus Patronatus laicorum hic non sunt recepta.
28. Probatio Juris Patronatus hic admittitur ad instar aliorum Jurium.
29. Præsentatus à possessore præfertur presentato à proprietario.
30. Ipsa immemorialis possessio habetur pro vero titulo, & quod in Gallia obtinet.
31. Olim laici Ecclesias occuparunt; & quomodo inde ortum Jus Patronatus.
32. Quomodo ulterius ad Monasteria & Capitulum devoluntum.
33. An privilegio Pontificis acquiri possit?

Jus Patronatus acquiri, ac jam pridem concessum fuisse Ecclesiarum Fundatoribus, ostendimus capite primo; huncque esse legitimum, magisque probatum titulum Juris Patronatus nemo dubitat.

II. Et quidem vi fundationis acquiri Jus Patronatus sine

sine speciali reservatione fundatoris, aut concessione Episcopi non obscure insinuat Clemens III. in Cap. 25. De Jure Patronatus; præsertim si addantur quæ leguntur in integra Decreta apud Antonium Augustinum in secunda Decretalium collectione. Constat enim ex integra Decretali, quæsitum fuisse à Clemente III. Si aliquis efficiatur SOLA Ecclesia constitutione Patronus. Cui quæsitio ita respondit Pontifex: Quod si aliquis Ecclesiam cum assensu Diœcesani construxit, ex eo Jus Patronatus acquiri: quæ diceret solam fundationem sufficere, nec requiri specialem juris illius reservationem.

Hinc Glossa ad Can. 6. De Consecrat. Dist. 1. ait: "Fundatori Jus Patronatus ipso jure debetur, etiam si non peccat, vel in pactum deducat.

Hanc opinionem multis astruit Franciscus Le Roy in Prologemini ad Commentarium de Jure Patronatus cap. 15. & ita in Rota Romana resolutum fuisse refert. Unà tamen monet, quod licet specialis reservatio non sit necessaria, præsertim per scripturam, tutius tamen sit, tabulas conscribi, & in iis Jus Patronatus nominatim reservetur, ut si dubitetur, facilius probari possit.

III. Attamen si ab antiquo fundata fuerit Ecclesia, & Fundator ejus heredes Jure Patronatus usi non sint, præsumendum est, eos in ipsa fundatione jus hoc remisisse ac voluisse fundare Ecclesiam liberam; aut certe successu temporis, saltem tacite, eo non utendo, renuntiasse; uti monet ibidem Le Roy.

IV. Interim si de Jure Patronatus dubitetur, & probetur aliquem esse Fundatorem, aut saltem Fundatoris heredem, ipsi Jus Patronatus adjudicabitur: eò quod fundatio secunda soleat trahere Jus Patronatus; ideoque præsumatur Fundatori reservatum, nisi contrarium quodammodo ostendatur: quod & innuitur in Cap. 41. De Testibus, ubi ad probandum Jus Patronatus, sola Fundationis probatio requiritur.

V. Hæc autem intelligi oportet de veris Ecclesie Fundatoribus, id est, qui & fundum ac dotem convenientem pro fabrica, nec non ministris aliisque necessariis ad Dei cultum rite peragendum conferunt, qui que ideo veri Ecclesiarum Fundatores dici merentur.

VI. Quod enim nonnulli per fundationem intelligi voluerint fundi dationem, quasi solius fundi, in quo Ecclesia materialis edificari possit, datione; sive alicujus dotis assignatione Jus Patronatus censetur acquiri, à jure hodierno, & pristinis Canonibus alienum est.

Tam enim in Decretalibus, quam sacris Canonibus, fundatio accipitur pro constructione & dotatione, quemadmodum pluribus citatis ostendit Le Roy in dictis Prologemini cap. 13.

VII. Deinde Canones loquentes de fundatione indubie loquuntur de fundatione sive exstructione rite, & secundum Regulas Canonicas peragenda. Canones autem prohibent edificari Ecclesiam, nisi prius assignentur quæ necessaria sunt pro luminaribus, pro custodia & ministrorum stipendiis; quinimò ante ipsam fundationem dos assignari debet, uti post alios rectè advertit Fagnanus ad Cap. QUONIAM De Jure Patronatus n. 34.

VIII. Hinc ulterius ibidem late probat, Jus Patronatus sola fundi datione non acquiri, neque ipsa constructione, sed constructione & dotatione: quod & astruit Zypæus Resp. 3. De Jure Patronatus; illudque confirmat Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 12. & Sess. 25. cap. 9. De Reform.

IX. Nam dicto cap. 12. expressè dicitur: Nemo etiam, cuiusvis dignitatis Ecclesiasticæ vel secularis, quacumque ratione, nisi Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & construxerit; seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, Jus Patronatus impetrare aut obtinere possit, aut debeat. In casu autem fundationis aut dotationis hujusmodi institu-

tio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.

X. "Qui ergo vilem tantum aream dederit (ait Zypæus ibidem num. 9.) nihil de suo aliud in dotem, vel structuram contulerit, patronatum acquirere non potest: nec hujusmodi nomen, magna nimis secum jura trahens explicita in nobis, ei Episcopus reservare: benefactor quidem dici potest, & honor aliquis sessionis, processio- nis, sepulturae &c. ex arbitrio Episcopi ei deferendus de- cerni.

XI. Quin nec ob qualemcumque dotationem Jus Patronatus ab Episcopis admitti debere, satis indicavit Synodus Tridentina citato cap. 9. ubi dicit: "Patronatus quicumque in Ecclesia, quibuscumque aliis beneficiis, etiam dignitatibus antea liberis, acquisiti à quadraginta annis, citra, & in futurum, acquirendi, sed ex augmento dotis, seu ex nova constructione, vel alia simili causa, etiam auctoritate Sedis Apostolicæ, ab eisdem Ordinariis, uti delectis, ut supra, qui nullius in his facultatibus, aut privilegiis impediuntur, diligenter cognoscantur: & quos non repererint ob maximè evidentem Ecclesie, vel beneficii, seu dignitatis necessitatem legitime constitutus esse, in totum revocent; atque beneficia hujusmodi sine damno illorum possidentium, & restituo patronis eorum, quod ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant; non obstantibus privilegiis, constitutionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Nullatenus ergo Synodus credit, omnem Ecclesie dotationem, aut constructionem esse legitimam causam contedendi Juris Patronatus. Consonat id & praxis, utpote quæ non omnes, qui Ecclesie non satis dotatæ augmentum dotis conferunt, aut successu temporis ad inopiam redactæ succurrunt, pro Patronis recipit; licet illos Benefactoribus annumeret.

XII. Quinimo si vi primæ fundationis aliòve titulo aliquis esset Ecclesie Patronus, non posset Episcopus alteri, etiam notabilem dotem de novo offerenti Jus Patronatus cum præjudicio prioris Patroni concedere, nisi hujus consensu accederet.

XIII. Sitamen de dotanda Ecclesia interpellatus, eam dotare recuset, si necessitas aut evidens Ecclesie utilitas dotem, aut certe ejus augmentum requirat, eaque haberi nequeat, nisi eam offerenti Jus Patronatus annuatur; non apparet, cur Episcopus Jus Patronatus huic dotanti annuere non posset, saltem ut unà cum Fundatore concurrat.

Cum enim fundatio requirat dotem; censetur dotans quodammodo partem in fundatione habere; imò ipsi fundationi effectum tribuere. Constructio quippe Ecclesie sine dote ad exhibendum cultum divinum, parum utilis, & exigui effectus est.

XIV. Unde etiam post alios Canonistas docet Fagnanus loco citato, quod si ad ipsam fundationem tres concurrant; unus assignando aream seu fundum; alius expensas constructionis conferendo; & tertius eam dotando, omnes censentur assequi Jus Patronatus, ac omnes in solidum effici Patronos; atque ita intelligendam esse Glossam dicentem, Jus Patronatus acquiri tribus ex causis, quæ hoc vulgari versu expressit: Patronum faciunt dos, edificatio, fundus.

XV. Quamvis primitus Jus Patronatus, præcipue laicum, non alio, quam fundationis titulo delatum fuisse legamus, lapsu tamen temporis receptum fuit, & titulo præscriptionis acquiri posse.

XVI. Cum enim jus illud, non ut merè spirituale, sed potius ut temporale reputaretur, quod & ad hæredes transmissibile esset, & que juris laicos capaces esse jam nemo dubitaret, consequenter visum est, nihil obitare, quo minus præscriptione, ad instar aliorum Jurium, acquiri possit: idque non tantum contra Patronum, sed & contra Ecclesiam liberam etiam à laico; quemadmodum sat aperte deciditur in Cap. 24. De Elect. ubi populo asseritur jus presentandi Clericum, eo solo titulo, quod in antiqua quasi possessione eligendi seu presentandi esse ostenderetur.